

AD SEXTAM.

**Capitulum.** Eccli. xxiv.

**E**GO ex ore Altissimi prodivi primogénita ante omnem creaturam : ego feci in cœlis, ut oriretur lumen indeficiens, et sicut nébula texi omnem terram.

**R.** br. Fortis est, \* Ut mors diléctio. Fortis. **V.** Dura sicut inférnus æmulatio. Ut mors. **Gloria** Patri. Fortis.

**V.** Ego dilécto meo. **R.** Et ad me convérsio ejus.

AD NONAM.

**Capitulum.** Eccli. xxiv.

**I**N omni terra steti, et in omni pópulo, et in ómnibus réquiem quæsi vi, et in hereditate Dómini morabor.

**R.** br. Ego, \* Dilécto meo. Ego. **V.** Et ad me convérsio ejus. Dilécto meo. **Gloria** Patri. Ego.

**V.** Qui me invenerit, invéniet vitam. **R.** Et háuriet salutem a Dómino.

IN II. VESPERIS.

**Añæ et Capitulum ut in Laudibus.** [354]

**Psalmi et Hymnus ut in Festis B. M. V. [191]**

**V.** Viam mandatórum tuórum cucúrri. **R.** Cum dilatásti cor meum.

**Ad Magnif. Añæ.** Exultávit cor meum in Deo salutári meo : quia fecit mihi magna qui potens est.

**Commemoratio Domini-  
cæ occurrentis.**

DOMIN. INFRA OCTAV.  
SIVE POST FESTUM  
S. AUGUSTINI.

**B. Mariæ Virginis  
de Consolatione.**

**Duplex majus.**

**Omnia ut in Festis B. M. V.  
per Annum [191] præter  
sequentia.**

IN I. VESPERIS.

**Añæ et Capit. ut in Lau-  
dibus.** [361]

**Hymn. Ave maris.** [193]

**V.** Numquid obliviscétur Virgo ornamenti sui?  
**R.** Aut sponsa fásciae pectorális suæ?

**Ad Magnif. Añæ.** Sancta María, succurre míseris, juva pusillánimes, réfove flébiles, ora pro pópulo, intercéde pro devóto femíneo sexu, séntiant omnes tuum juvámén, quicúmque célebrant tuam sanctam festivitátem.

**Oratio.**

**D**omine Jesu Christe, pater misericordiárum et Deus totíus consolatiónis : concéde pro-

pítius, ut sicut lumbos præcincti puríssimam Genitricem tuam Mariam sub Consolatiónis título gaudentes venerámur in terris, ita perénni ejúsdem consórtio pérfrui mereámur in cœlis. Qui vivis.

**Et fit Commemoratio Do-  
minicæ occurrentis.**

AD MATUTINUM.

**Invit.** Jesum per Mariam nos consolántem, \* Veníte adorémus. **Ps.** Veníte. 2.

IN I. Nocturno.

De Canticis canticórum.

**Lectio j.** **Cap. iv.**

**Q**uam pulchra es amíca mea, quam pulchra es! Oculi tui columbárum, absque eo, quod intrínsecus latet. Capilli tui sicut greges caprárum, quæ ascéderunt de monte Gálaad. Dentes tui sicut greges tonsárum, quæ ascéderunt de lavacro, omnes geméllis fætibus, et stérilis non est inter eas. Sicut vitta cocínea, lábia tua : et elóquium tuum, dulce. Sicut fragmen mali púnici, ita genæ tuæ, absque eo, quod intrínsecus latet. Sicut turris David collum tuum, quæ ædificáta est cum propugnáculis : mille

clypei pendent ex ea, omnis armátúra fórtium.

**R.** Sancta et immaculáta virgínitas, quibus teláudibus éfferam néscio : \* Quia quem cœli cápere non póterant, tuo grémio contulísti. **V.** Benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui. — Quia.

**Lectio ij.**

**T**ota pulchra es amíca mea, et mácula non est in te : Veni de Líbano, veni : coronaberis de cápite Amaná, de vértice Sanir et Hermon, de cubilibus leónum, de móntibus pardórum. Vulnerásti cor meum soror mea sponsa, vulnerásti cor meum in uno oculórum tuórum, et in uno crine colli tui. Quam pulchræ sunt mammæ tuæ soror mea sponsa! pulchrióra sunt úbera tua vino, et odor unguentórum tuórum super ómnia arómata.

**R.** Congratulámini mihi omnes, qui dilígitis Dóminum, quia cum essem párvula, plácuí Altíssimo : \* Et de meis viscéribus génuí Deum et hóminem. **V.** Beátam me dicent omnes generatiónes, quia an-

cillam hūmitem respexit  
Deus. — Et de meis.

*Lectio iij.*

**F**avus distillans lābia  
tua sponsa, mel et  
lac sub lingua tua: et odor  
vestimentōrum tuōrum  
sicut odor thuris. Hortus  
conclūsus soror mea spon-  
sa, hortus conclūsus, fons  
signātus. Emissiōnes tuæ  
paradisus malōrum puni-  
cōrum cum pomōrum frū-  
ctibus. Cypri cum nardo,  
nardus et crocus, fistula  
et cinnamōmum cum uni-  
vērſis lignis Líbani, myr-  
rha et aloē cum omnibus  
primis unguētis. Fons  
hortōrum: pūteus aquā-  
rum vivēntium, quæ  
fluunt impetu de Líbano.  
Surge Aquilo, et veni  
Auster, perfla hortum  
meum, et fluant arómata  
illius.

℞. Beāta es. [198]

In II. Nocturno.

Sermo sancti Bernārdi  
Abbātis.

Serm. in Dominica infra  
Octav. Assumpt. B.M.V.  
super signum magnum.

*Lectio iij.*

**M**aria sole per-  
hibetur amicta,  
quæ profundissi-  
mam divīnæ sapiētiæ,  
ultra quam credi valeat,

penetrāvit abyssum; ut,  
quantum sine personāli  
uniōne creatūræ conditio  
pātitur, luci illi inaccessi-  
bili videatur immēsa. Illo  
nimirum igne Prophētæ  
lābia purgāntur, illo igne  
Séraphim accendūntur.  
Longe vero āliter Mariā  
mēruit, non velut summā-  
tim tangi, sed operiri ma-  
gis undique, et circumfūn-  
di et tamquam ipso igne  
conclūdi. Condidissimus  
sane, sed et calidissimus  
hujus mulieris amictus:  
cujus omnia tam excellē-  
ter irradiata noscūntur, ut  
nihil in ea, non dico tene-  
brōsum, sed ne subobscurū  
saltem, vel minus  
lucidum, sed ne tepidum  
quidem aliquid, aut non  
ferventissimum liceat su-  
spiciari.

℞. Sicut cedrus exaltāta  
sum in Líbano, et sicut  
cypressus in monte Sion:  
quasi myrrha elēcta,  
\* Dedi suavitatem odōris.

℞. Et sicut cinnamōmum  
et balsamum aromati-  
zans. — Dedi.

*Lectio ii.*

**M**ulier amicta sole.  
Plane amicta lūmi-  
ne tamquam vestimēto.  
Non percipit forte carnā-  
lis: nimirum spirituāle

est, stultitia illi videtur.  
Non sic videbatur Apó-  
stolo, qui dicebat: Induí-  
mini Dóminum Jesum  
Christum. Quam familiā-  
ris ei facta es Dómina!  
Quam prōxima, imo quam  
íntima fieri meruisti:  
quantam invenisti grā-  
tiam apud eum! In te ma-  
net, et tu in eo, et vestis  
eum, et vestiris ab eo.  
Vestis eum substātia  
carnis, et vestit ille te  
glória suæ majestātis.  
Vestis solem nube, sole  
ipsa vestiris. Novum enim  
fecit Dóminus super ter-  
ram, ut mulier circumda-  
ret virum.

℞. Quæ est ista quæ  
processit sicut sol, et for-  
mōsa tamquam Jerúsala-  
lem? \* Vidērunt eam filiæ  
Sion, et beātam dixerunt,  
et reginæ laudavērunt  
eam. ℞. Et sicut dies verni  
circumdabant eam flores  
rosarum, et lília convál-  
lium. — Vidērunt.

*Lectio iiij.*

**T**e itaque, Mater mi-  
sericordiæ, media-  
tricem nobis apud solem  
justitiæ constitutam de-  
vōtis supplicatiōibus in-  
terpellāmus, ut in lūmine  
tuo videāmus lumen, et  
solis grātiam tuo mereā-

mur obtēntu, quam vere  
amāvit præ omnibus, et  
ornāvit, stola glóriæ ín-  
duens, et corōnam pulchri-  
tūdinis ponens in cāpite  
tuo. Plena est gratiārum,  
plena rore cœlesti, innixa  
super dilēctum, deliciis  
āfluens. Ciba hódie páu-  
peres tuos Dómina; ipsi  
quoque catelli de micis  
edant; nec pūero Abra-  
hæ tantum, sed et camēlis  
potum tríbuas de  
supereffluēti hydria tua:  
quia tu vere puella es  
præelēcta, et præparāta  
Altissimi Fílio. Cujus di-  
vino instinctu sanctus  
Póntifex et Doctor Am-  
brósius, postquam Augu-  
stīnum sacro baptísmate  
expiāvit, novum hómī-  
nem novis vēstibus ín-  
duit, cucullaque nigra, et  
cingulo ex cōrio ipse, ut  
fertur, præcinxit. Hujus  
autem sacri cinguli orna-  
mētum póstea religio  
Augustiniāna semper ge-  
stāvit in signum devotiō-  
nis erga beātam Virgīnem  
Mariā, sanctum patrem  
Augustīnum, piāmque  
ejus matrem Mōnicam, ita  
ut Eugénio quarto appro-  
bānte fūerit institūta so-  
cietas Cincturātōrum san-  
ctōrum Augustīni et Mō-

nicae, et alia similis sub invocatiōe beatæ Mariæ Virginis de Consolatiōe, quas Gregorius decimus tertius in unum corpus redēgit; ac sodalitiū Cincturōrum beatæ Mariæ Virginis voluit appellari, illūque tum Gregorius ipse, tum multi alii ejus successōres innūmeris grātiis et privilegiis cumulāverunt.

℞. Ornātam. [201]

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio viij. Cap. j. d

**I**n illo tempore: Exsurgens Maria abiit in montana, cum festinatione in civitatem Juda. Et intravit in domum Zachariae, et salutavit Elisabeth. Et reliqua.

Homilia sancti Augustini Episcopi.

Lib. de Præsentia Dei, sive Epist. clxxxvij. alias xcviij. n. 23.



**M**EC sunt certe verba Elisabeth matris Joannis: Beata tu inter mulieres, et beatus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me? Ecce enim ut facta est vox salutationis tuæ in auri-

bus meis, exsultavit in gaudio infans in utero meo. Hoc autem ut diceret, sicut Evangelista prælocutus est, replēta est Spiritu sancto, quo procul dubio revelante cognovit, quid illa exsultatio significaret infantis, id est illius venisse matrem, cujus præcursor ipse et demonstrator esset futurus. Potuit ergo esse ista significatio rei tantæ a majoribus cognoscendæ, non a parvulo cognitæ.

℞. Sub tuum præsidium confugimus, clementissima Virgo, suscipe nos, unica spes nostra, et nostris delectare laudibus, \* Quibus indigni omni te laude dignissimam collaudamus. ℞. Aufer a nobis iniquitates nostras, ut digni canamus tibi gloriæ melos. — Quibus.

Lectio viij.

**N**AM neque cum hoc ante in Evangelio narraretur, dictum est, credidit infans in utero ejus, sed, exsultavit; neque ipsa dixit: exsultavit in fide infans in utero meo, sed exsultavit in gaudio. Videmus autem exsultationem non solum parvulorum, sed etiam

pæcorum; non utique de aliqua fide, vel religione, vel qualicumque rationali cognitione venientem. ¶ Sed hæc plane inusitata et nova existit, quia in utero, et ad ejus adventum, quæ hominum Salvatorem fuerat paritura. Ideo mira, ideo in magnis signis deputanda: Ideo hæc exsultatio, et tamquam matri Domini redita resultatio, sicut solent miracula fieri, facta est divinitus in infante, non humanitus ab infante.

℞. Porta cæli et stella maris es Virgo Maria, Regis æterni mater, gratos nos redde filio tuo: \* Quia omnis virtus, et decor, et glória ex te resplendet. ℞. Tu veniæ vena, tu gratiæ mater, tu spes mundi; exaudi nos clamantes ad te. — Quia. Glória Patri. Quia.

Lectio ix. de Homilia Dominicæ occurrentis.

AD LAUDES,  
et per Horas, Anæ.

1. Odor vestimentorum \* tuorum sicut odor thuris.
2. Cingulo suo \* confortavit nos, et potestatem suam dedit in manu nostra.

3. Justitia \* cingulum lumborum ejus, et fides cinctorium renū ejus.

4. Myrrha, et gutta, \* et casia a vestimentis tuis.

5. Sentiens vestimentorum illius \* fragrantiam, benedixit nobis Deus noster.

Capitulum. Isaia xj.

**E**Grediatur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet. Et requiescet super eum spiritus Domini.

Hymnus.

**O** Gloriosa Virginum,  
Sublimis inter sidera,  
Qui te creavit, parvulum  
Lactente nutris ubere.  
Quod Heva tristis abstulit,  
Tu reddis almo germine:  
Intrent ut astra flébiles,  
Cæli reclúdis cárdines.  
Tu regis alti janua,  
Et aula lucis fúlgida:  
Vitam datam per Virginem  
Gentes redemptæ pláudite.

Jesu, tibi sit glória,  
Qui natus es de Virgine,  
Cum Patre, et almo Spiritu,

In sempiterna sæcula.  
Amen.

℞. Benedicta tu in mulieribus. ℞. Et benedictus fructus ventris tui.

Ad Bened. Aña. Quæ est ista, quæ ascéndit sicut auróra consúrgens, pulchra ut luna, elécta ut sol, terríbilis ut castrórum ácies ordináta?

Oratio.

**D**omine Jesu Christe, pater misericordiárum et Deus totius consolatiónis : concéde propítius, ut sicut lumbos præcincti puríssimam Genitricem tuam Mariam sub Consolatiónis título gaudéntes venerámur in terris, ita perénni ejúsdem consórtio pérfrui mereámur in cœlis. Qui vivis.

Et fit Commem. Domin. occurrentis.

AD TERTIAM.

Capitulum. Eccli. [361]

℞. br. Spécie tua, \* Et pulchritúdine tua. Spécie. ℞. Inténde, prospere procéde, et regna. Et pulchritúdine. Glória. Spécie.

℞. Adjuvábít eam Deus vultu suo. ℞. Deus in médio ejus, non commovébitur.

AD SEXTAM.

Capitulum. Eccli. xxiv. b

**E**t sic in Sion firmáta sum, et in civitate sanctificáta similiter requiévi, et in Jerúsalem potéstas mea. Et radicávi

in pópulo honorificáto, et in parte Dei mei heréditas illius, et in plenitúdine sanctórum deténtio mea.

℞. br. Adjuvábít eam, \* Deus vultu suo. Adjuvábít. ℞. Deus in médio ejus, non commovébitur. Deus. Glória Patri. Adjuvábít.

℞. Elégit eam Deus, et præelégít eam. ℞. In tabernáculo suo habitáre facit eam.

AD NONAM.

Capitulum. Eccli. xxiv. b

**I**n platéis sicut cinnamómum, et bálsamum aromatizans odórem dedi: quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris.

℞. br. Elégit eam Deus, \* Et præelégít eam. Elégit. ℞. In tabernáculo suo habitáre facit eam. Et præelégít. Glória. Elégit. ℞. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℞. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

IN II. VESPERIS.

Aña et Capit. de Laud. Psalmi et Hymnus ut in Festis B. M. V. [191]

℞. Numquid obliviscétur Virgo ornamenti sui? ℞. Aut sponsa fasciæ pectorális suæ?

Ad Magnificat, Aña. Sub tuum præsidium confúgi-

mus, clementíssima Virgo, súscipe nos, única spes nostra, et nostris delectáre láudibus.

Et fit Commem. Domin. occurrentis.

DOMIN. I. SEPTEMBRIS.

S. Angeli Custodis.

Dupl. ij. class. cum Octava.

Officium in Festo fit ut in

Brev. die ij. Octobr. 490.

Nona Lectio legitur de Dominica occurrente, de qua fit Commem. in utrisque Vesperis et Laudibus.

FERIA II. INFRA OCTAV.

S. Angeli Custodis.

Officium per Octavam dicitur ut in die Festi. 490.

Sed in primo Nocturno dicuntur Lectiones de Scriptura occurr. quæ hodie erunt de Dominica I. Septembris, quia heri non sunt lectæ.

In II. Nocturno.

Sermo sancti Augustini Episcopi. Lib. II. de Civit. Dei, cap. xxxj.

Lectio iii.

**S**ancti Angeli, ad quorum societátem et congregatióne laboriosíssima suspirámus, sicut habent

permanéndi æternitátem, ita cognoscéndi facilitátem, et requiescéndi felicitátem; sine difficultáte quippe nos adjuvant, quóniam spirituálibus mótibus puris et liberis non labórant.

℞. Vivit ipse. 497.

Lectio v.

Id. ibid. cap. xxxij.

**N**OS duas societates angelicas intelligimus, unam fruéntem Deo, áltèram tuméntem typho. Unam, cui dicitur : Adoráte eum omnes Angeli ejus : áliam, cujus princeps dicit : Hæc ómnia dabo tibi, si prostrátus adoráveris me. Unam sancto Dei amore flagrántem : áltèram próprie celsitudinis immúndo amore fumántem. Et quóniam, sicut scriptum est, Deus superbis resistit, humilibus autem dat grátiam; illam in cœlis habitántem, istam inde dejéctam, in hoc infimo aëreo cœlo tumultuántem.

℞. Angelus. 497.

Lectio vi.

**I**llam luminósa pietáte tranquillam, istam tenebrósis cupiditátibus turbuléntam. Illam Dei nutu cleménter subve-

niéntem, juste ulciscén-  
tem; istam suo fastu sub-  
déndi, et nocéndi libidine  
æstuántem. Illam, ut  
quantum vult, cónsulat,  
Dei bonitátis ministram;  
istam, ne quantum vult,  
nóceat, Dei potestáte fren-  
nátam. Illam huic illu-  
déntem, ut nolens prosit  
persecutióibus suis; hanc  
illi invidéntem, cum per-  
egrínos cónligit suos.

℞. In omni. 498.

In III. Nocturno.

Léctios sancti Evangélii se-  
cúndum Matthæum.

Lectio viij. Cap. xvij.

**I**N illo témpore: Acces-  
serunt discipuli ad Je-  
sum, dicéntes: Quis, putas,  
major est in regno cœló-  
rum? Et réliqua.

Homília sancti Hierónymi  
Presbyteri.

Lib. 3. Comm. in cap. xvij.  
Matthæi.

**Q**Uost invéntum sta-  
térem, post tribúta  
réddita, quid sibi  
vult Apostolórum repen-  
tina interrogátio. Quis,  
putas, major est in regno  
cœlórum? Quia víderant  
pro Petro et Dómino idem  
tribútum rédditum, ex  
æqualitáte prétii arbitrá-  
ti sunt Petrum ómnibus

Apóstolis esse prælátum,  
qui in redditióne tribúti  
Dómino fúerat compará-  
tus: ideo intérogant,  
quis major sit in regno  
cœlórum. Vidénsque Je-  
sus cogitatiónes eórum,  
et causas erróris intelli-  
gens, vult desidérium  
glóriæ, humilitátis con-  
tentióne sanáre.

℞. Machabæus. 501.

Lectio viij.

**S**I autem manus tua,  
vel pes tuus scanda-  
lizat te, absconde eum, et  
prójice abs te. Necesse est  
quidem veníre scándala:  
væ tamen ei est hómini,  
qui, quod necesse est ut  
fiat in mundo, vitio suo  
facit ut per se fiat. Igitur  
omnis truncátur afféctus,  
et univérsa propínquitas  
amputátur, ne per occa-  
sióne pietátis unusquis-  
que credéntium scándalis  
páteat. Si, inquit, ita est  
quis tibi conjúctus, ut  
manus, pes, óculus, et  
est útilis atque sollicitus,  
et acúsus ad perspicién-  
dum, scándalum autem  
tibi facit, et propter dis-  
sonántiam morum te pér-  
trahit in gehénnam: mé-  
lius est, ut et propínqui-  
tate ejus, et emoluméntis  
carnálibus cáreas: ne

dum vis lucrifácere co-  
gnátos et necessários,  
causam hábeas ruinárum.

℞. Tu Dómine. 501.

Lectio ix.

**D**ico vobis, quia Ange-  
li eórum in cœlis  
semper vident faciém Pa-  
tris mei. Supra díxerat,  
per manum et pedem et  
óculum omnes propínqui-  
tates et necessitúdines,  
quæ scándalum fácere  
póterant, amputándas:  
austeritátem itaque sen-  
téntiæ, subjécto præcépto  
témperat, dicens: Vidéte  
ne contemnátis unum ex  
pusillis istis. Sic, inquit,  
præcipio severitátem, ut  
commiscéri cleméntiam  
dóceam: quia Angeli eó-  
rum in cœlis vident sem-  
per faciém Patris. Magna  
dignitas animárum, ut  
unaquæque hábeat ab or-  
tu nativitátis in custó-  
diam sui Angelum dele-  
gátum. Unde légimus in  
Apocalypsi Joánnis: An-  
gelo Ephesi, et reliquá-  
rum Ecclesiárum, scribe  
hæc. Apóstolus quoque  
præcipit velári cápita in  
ecclesiis feminárum pro-  
pter Angelos.

Te Deum laudámus. 19.

—\*—

FERIA III. INFRA OCTAV.

In II. Nocturno.

Sermo sancti Bernárdi  
Abbátis.

In festiv. S. Michaelis.

Lectio ix.

**H**IC est funiculus tri-  
plex, quo de excél-  
so cœlórum habi-  
táculo ad consolándos, ad  
visitándos, ad adjuvándos  
nos, attráhitur superémi-  
nens caritas Angelórum,  
propter Deum, propter  
nos, propter seipsos. Pro-  
pter Deum útique, cujus  
tanta erga nos misericór-  
diæ viscera ipsi quoque  
imitántur. Propter nos, in  
quibus própriam simili-  
túdinem miserántur. Pro-  
pter seipsos, quorum órdis  
instaurándos ex nobis  
toto desidério præstolán-  
tur. In ore enim parvuló-  
rum, qui lacte modo ve-  
scúntur, et nondum sólido  
cibo, perficiénda est laus  
illa majestátis divínæ, cu-  
jus habéntes primitias an-  
géllici spíritus, beáta de-  
lectatióne fruúntur: sed  
tanto avidius nos expé-  
ctant, quanto consumma-  
tióne ejus expectatióne,  
et expetitióne sollicitán-  
tur.

℞. Vivit ipse. 497.

**Lectio v.**

**Q**UÆ cum ita sint, pensate etiam, quanta nobis sollicitudine opus est, ut dignos nos exhibeamus eorum frequentia, et eo modo conversetur in conspectu Angelorum, ne forte sanctos offendamus obtutus. Væ enim nobis, si quando provocati peccatis et negligentibus nostris, indignos nos iudicaverint presentia et visitatione sua, ut jam necesse habeamus et nos plangere, et dicere cum Propheta: Amici mei, et proximi mei adversum me appropinquaverunt, et steterunt; et qui juxta me erant, de longe steterunt; et vim faciebant, qui quærebant animam meam. Elongatis nimirum eis, quorum presentia protegere nos, et propulsare poterat inimicum.

℞. Angelus Dñi. 497.

**Lectio vj.**

**Q**uod si tam necessariam habemus familiaritatem dignationis angelicæ, cavenda nobis est eorum offensa, et in his maxime exercendum, quibus eos novimus oblectari. Sunt enim plurima, quæ eis placent, et quæ

in nobis invenire delectat, ut est sobrietas, castitas, paupertas voluntaria, crebri in cælum gemitus, et orationes cum lacrymis et cordis intentione. Attamen super omnia hæc unitatem et pacem a nobis exigunt Angeli pacis. E contra vero nihil æque offendit, et ad indignationem provocat eos, quomodo dissensiones et scandala.

℞. In omni. 498.

**In III. Nocturno.**

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

**Lectio vij. Cap. xvij.**

**I**n illo tempore: Accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes: Quis, putas, major est in regno cælorum? Et reliqua.

Homilia sancti Joannis Chrysostomi.

**Ex variis in Matthæum locis, Homilia xvij.**

**V**æ mundo ab scandalis. Mundum istum, terrenum locum dicit: neque vero de cælo et terra intelligere debemus mundum, sed mundum hic intelligamus terrenum; ideo quod dixit Dominus: Regnum meum non est de isto mundo: si

**Lectio iij.**

**N**on conspectu Angelorum psallam tibi. Parum sibi existimat Propheta esse, ut hominibus tantum presentibus psallat, quia homines corporalium tantum negotiorum officia inspicunt: in eo enim quod psallit, motum complacite operationis Deo ostendit. Non ergo quæ videntur in corpore, cerni desiderat; sed ea quæ spirituâliter naturæ spirituales contuentur, gerere festinat. Scit enim sub specula Angelorum vitam omnem morisque agere et ubique hæc divinorum ministeriorum auxilia fidelibus cunctis assistere, ut scriptum est: Præest Angelus Domini in circuitu timentium eum.

℞. Vivit ipse. 497.

**Lectio v.**

**L**egem etiam Moysi in manu mediatoris per Angelos fuisse depositam docet Apostolus. Nec non et Elisæus absolutissime docuit, humanas infirmitates Angelorum auxiliis defendi, et in omnibus periculis, si fides maneat in nobis, adesse spirituâ-

essem de mundo, amaret me mundus. Et dicitur ad Apostolos: Vos non estis de mundo.

℞. Machabæus. 501.

**Lectio viij.**

**V**æ igitur mundo, hoc est, terreno loco, ab scandalis: necesse enim est ut veniant scandala: non quia necesse, sed quia mundo necesse ut veniant. Videte quod dicimus, subtile est: si necesse est ut veniant scandala, ergo absque culpa est ille, per quem venit scandalum.

℞. Tu Domine. 501.

**Lectio ij.**

**S**ed nos dicimus, scandalum non venit nisi in terreno mundo. Vis tibi non venire scandalum? noli esse terrenus. Propterea dico, mundus terrenus scandalum habet, terra ista necesse est ut habeat scandalum: noli portare terrenum, sed celestem, et scandalum non habebis. Verumtamen vae homini illi, per quem scandalum venit.

Te Deum laudamus. 19.

FERIA IV. INFRA OCTAV.

**In II. Nocturno.**

Sermo sancti Hilarii Episcopi.

In Psalm. cxxxvij.

lium virtutum defensionem. Nam cum rex Syriae capere Geth urbem, in qua idem Propheta Elisaeus esset, pararet, et nocturnis itineribus exercitum suum, qui antelucanus urbem obsideret, destinasset, puer Elisaei conspecta obsidione, dixit: O domine, quid faciemus? Et dixit: Noli timere, quia plures sunt nobiscum, quam cum illis.

℞. Angelus Dñi. 497.

*Lectio vi.*

**E**T oravit Elisaeus ad Dominum, et dixit: Adaperi Domine oculos pueri hujus, ut videat: et aperuit Dominus oculos pueri, et vidit. Et ecce mons erat plenus equis, et curribus in gyro Elisaei, et descenderunt ad eos. Tanti et tam nobilis Propheta solus contemplatione auxiliorum spiritalium dignus est. Sed oratio ejus ad Deum, visum incorporalium etiam puero suo meruit. In horum igitur assistentium humanis auxiliis Angelorum conspectu psallat Propheta, simplicibus spiritalium operum contemplatione placiturus.

℞. In omni. 498.

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthaeum.

*Lectio viij. Cap. xvij.*

**I**N illo tempore: Accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes: Quis, putas, major est in regno caelorum? Et reliqua.

Homilia sancti Bernardi Abbatis. Tom. j. in festivo S. Michaelis, serm. ij.



Udistis, fratres, evangelicam lectionem adversus eos, qui pusillos scandalizant, satis terribiter intonantem. Neminem blanditur Veritas, neminem palpat, nullum seducit, aperte denuntians, quoniam vae homini illi, per quem scandalum venit: expedit ei, ut suspendatur in collo ejus mola asinaria: et pro suavi jugo, et levi onere Salvatoris, gravi mole terrenae cupiditatis humeris ejus imposita, demergatur in profundum maris hujus magni, et spatiosi manibus, quod est sine dubio saeculum nequam. Perire siquidem necesse est hominem, qui caritatem non habet, etiam si tradiderit corpus suum ita ut ardeat: et hoc dixerim, fratres, ut in ea caritate, et unani-

mitate, et pace, in qua statis in Domino, solliciti sitis perseverare, et abundare magis. ℞. Machabaeus. 501.

*Lectio viij.*

**Q**UAE est enim spes nostra et gaudium nostrum, et corona gloriae? nonne unitas et unanimitas vestra, in qua gaudeo vos inveniri fraternitatis amatores, et ante omnia mutua in vobismetipsis caritatem habentes, quod est vinculum perfectionis? In hoc enim cognoscunt omnes, etiam Angeli sancti, quod Christi estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem. Denique potest hinc quoque fraternae dilectionis utilitas magnifice commendari: numquid enim Christi gratia diligemur ab Angelis, si de mutuae dilectionis inopia cognoverint nequaquam ejus nos esse discipulos? Numquid diligemur ab eis propter nos ipsos, id est, spiritalis naturae similitudinem, si invenimur non diligere humanae naturae nostrae consortes? imo vero, si ex eis quae inter nos sunt contentionibus, carnales nos magis quam spirituales esse constiterit? ℞. Tu Dñe. 501.

*Lectio ix.*

**D**enique numquid Angeli diligunt nos propter seipsos, et futuram de nobis civitatis suae restaurationem, si (quod absit) unum, quo solo uniri et coaedificari eis possumus, defuerit glutinum caritatis? Quomodo sperabunt reaedificandos de nobis perpetuos civitatis illius muros, si cognoverint, si viderint, nos non lapides esse vivos, qui possint invicem cohaerere, sed magis pulverem, quem projicit ventus a facie terrae, quem unus verbi flatus in turbinem excitet, et suspicionis cuiuslibet levissima aura dispergat? Et haec quidem dixisse sufficiat, pro eo quod ait Dominus: Si quis scandalizaverit unum de pusillis istis.

Te Deum laudamus. 19.

FERIA V. INFRA OCTAV.

In II. Nocturno.

Sermo sancti Augustini Episcopi. Lib. 9. de Civitate Dei, cap. xxij.

*Lectio iv.*

**A**ngelis bonis omnis corporalium temporaliumque rerum scientia vilis est, non quod earum ignari sint,